



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

S. Walburgis monialium, ..., intra muros Aichistadianæ urbis situm, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

adhuc à sacrīs concionibus. Saxo in pavimento jacenti incisum
tale est:

*Arma Simon Golius posuit; lapis hic habet offa:
Spiritus ipse aura vescitur ætherea.*

Parieti adscriptum.

*Debita jura Simon subiit quoq; Gollius Abbas
Mortis: nam fato cuncta creatæ ruunt.*

*Hic multum studuit miserorum impendere turbæ,
Fidus cœnobio per vigil atque pater.*

*Regna colit cœli felix, ubi passus acerbas
In terris curas præmia letus habet.*

Eidem Abbatii aliquando petenti à me tale epitaphion sa-
tum est:

*Huic manda uit humo Simon sua Gollius Abbas
Offa, sed in cœlis Spiritus astra videt.*

*Et quos esuriit, dum vi veret, atq; siti vit,
Vescitur ille cibis, nectare & ambrosia.*

Lengfeld: 47. *Jacobus Koplinius*, Macropedianus ex Lengelfeldo, non
Palatinorum in Bavaria oppido, sed Sueviæ pago quodam na-
tus, vir procera corporis statuta, animi vero ac ingenii dexterita-
te præclara prædictus, eligitur in Abbatem S. Ulrici, Wittelsba-
chii in arce prope Aichachium Bavariae Ducum oppidum sita,
anno Domini 1548. decima quarta Maji. Remigravit seque-
anno in Augustanam urbem, ubi præsidet feliciter utiliterq; hoc
adhuc currente Jubileo.

Heiden-
heimen-
Cœnobi-
um: Ole-
um S.
Walbur-
gis.

S WALBURGIS monialium, D. Benedicti regulam profi-
tentium, magnificum monasterium, intra muros Aichsta-
dianæ urbis situm, ceperit in turbe sub Episcopo Aichstadiano sex-
to, Domino Odogero, qui S. Walburgin, Abbatissam primam
Heidenheimensem, S. Willbaldi Episcopi & S. Wunibaldi Ab-
batis sororem, consensu Pontificis Maximi Adriani II. de tumu-
lo levatam ac Divarum numero adscriptam ex Heidenheimensi
templo Aichstadium transtulit annum Christi circiter 870. ub
hodie

hodie adhuc ex ejus corpore oleum in subiectum quoddam argenteum vas (quod oleo sudare ipse vidi) miraculose defluere dicitur, quod multis gravibus morbis mederi ajunt. De hac S. Walburgi, Anglorum Regis Richardi filia, tales extant versiculi, à Wolfardo, monacho Hesenrietano, ad petitionem & preces Erchemboldi, Aichstetensis Episcopi, olim compositi.

*Elia Regis erat, sed egenam se faciebat,
Dives ut in Christo, regnaret semper in ipso:
Quam sit chara Deo, monstrant miracula crebro,
Quae meritis ejus confert de Virgine natus.
Ex ejus tumba manat sacra pectoris unda:
Serva namq[ue] Dei lux celi splenduit illi.*

Hoc ipsum coenobium postea anno Domini 1034, temporibus Imperatoris Conradi II. ab Heriberto Episcopo auctum & quasi renovatum, ejusque instinctu à Leodegario, Comite de Lechsmund, liberalissime donatum est, qui periculose decumbens ab Heriberto Antistite in Diaconum consecratus tandem Dei beneficio pristinæ sanitati restitutus ejusdem monialium congregationis Sacellanus factus, summa humilitate illic reliquum vitæ inter Dei servitiam & pias preces transegit. Hujus amplissimi monasterii Abbatissarum & gubernaticum non extat integer quidem catalogus. Harum tamen, quæ extant nomina, hic etiam in nobilium familiarum (ex quibus natæ fuerunt) memoria ac honorem omittere non volui.

- | | |
|-------------------------------------|--------------------------------------|
| 1. <i>Euphemia de Emendorff.</i> | 6. <i>Elisabetha de Seckendorff.</i> |
| 2. <i>Sophia de Huttingen.</i> | 7. <i>Guta de Straß.</i> |
| 3. <i>Margareta ab Alreshausen.</i> | 8. <i>Catharina de Seckendorff.</i> |
| 4. <i>Anna de Rechberg.</i> | 9. <i>Mechtildis de Uttenbo-</i> |
| 5. <i>Margareta de Hageln.</i> | <i>fen.</i> |

Hæ omnes nobiles fuerunt Dominae, & quæ ante reformationem huic coenobio præfuerunt, de quibus nihil amplius annotatu est.

10. *Domina Elisabetha de Seckendorff* præfuit anno Domini 1456. quo Reverendissimus Episcopus Aichstadianus, D. Joannes de Quercu, coenobium S. Walburgis reformativit. Hæc Episcopo Abbatiam reddidit & reformatrici se se subdidit.

Sss 3

II. D. So-

11. *D. Sophia reformatrix*, ex Colonia Agrippina ad reformatum cœnobium accita, præficitur S. Walburgis cœnobio anno 1456. Præfuit laudabiliter 19. annis. Decessit ex hac vita 6. Iduum Julii, anno Dominicæ Incarnationis 1475.

12. *D. Ursula de Reichenaw*, laudatissimi Antistitis Aichstadiani Gulielmi germana soror, successit Dominæ Sophiæ. Præfuit annis undecim. Obiit anno 1486. in die S. Mauri.

13. *D. Walburgis à Fronvergk*, de Rhenensi provincia adveniens, præfuit annis septem & obiit anno Domini 1493.

14. *D. Margareta*, nobilis & egregia virtute prædita herois à Schaumberg, successit Walburgi, electa in vigilia Andreæ anno 1493. Præfuit 14. annis. Obiit anno Domini 1508. ipsa die S. Erhardi.

15. *D. Walburgis de Abbsperg* eligitur in die S. Polycarpi anno 1508. Præfuit annis 30. Obiit anno Domini 1538. in die S. Emerentianæ.

16. *D. Margareta de Seckendorff* eligitur postridie S. Valentini anno 1538. Præfidethoc adhuc currente Jubileo.

Heptinacria.

Privilegium Epternacense.

S. WILLIBORDI, aut (ut alii eum vocant) liberali panum distributione Willigbrodi, cœnobium Heptinacriani vel Epternacense à civitate quatuor milliaribus à Treveri versus Lutzelburgum intra septem altissimorum montium juga construta, in qua situm est, sic dictum, monachorum Benedictinæ professionis, sub Treverensi Dicecesi, amplissimum ac opulentissimum monasterium, fundatum & constructum legitur anno Domini 696. ad preces S. Willibrordi, primi Archiepiscopi Traiectensis, à Domino Pipino seniore, Francorum Duce, ejusque conjugi Domina Blitrade: utriusq; item clarissimo filio, Domino Carolo Martello, cooperante Domina Irmina Abbatisa & fundatrice Treverensis horrei, quæ hujus cœnobii diplomaticibus feso subscripsit, in Christi nomine Deo sacratam, et si indignam gratia Domini Abbatissam. Privilegium à Pipino fundatore datum ita habet inter cætera.

Ita